

DISPUTATIO JURIDICA
DE
REPRESSALIBUS,
Quam
Auxiliante Deo ter Opt. Max.
Nec non
Nobilissimo & Amplissimo JCtorum
Ordine permittente
Sub Præsidio
Clarissimi ac Consultissimi Viri Dni
Theophili Bergmanni, U. J. Candidati longè meritissimi, Fautoris ac Præceptoris sui æviternum observandi, colendi
In inclutâ Hieranâ publicæ disqvisitioni exercitij gratiâ, in acroaterio Saxonico ad d. 27. Julij horis consuetis
Proponit
Johannes Georgius Kellner Jehnâ Thur.



Typis Friderici Melchioris Dedekindi
Anno Salutis 1650.



Bono cum Deo.

PErversa atq; corrupta humani generis post lapsum natura, qvamvis ei ab ipso Justitiæ ac Legum fonte certa vivendi norma præscripta fuerit, suâ tamen improbitate multis alijs ac plurimis oriundi præbuit ansam, ita ut successu temporis & urgente hominum pravorum malitia, nec non svadente necessitate publicâ, ipsi Legislatores propter eorum intractabilitatem nonnihil â naturali æqvitati recedere fuerint coacti. Cum enim satis perspicuum atq; manifestum, mortalium improbitatem majorem esse, qvam ut sola benevolentia naturali in officio retineri possit, itaq; JCtus *in l. 16. §. ult. ff. de pœn.* permittit, ut etiam constitutæ delinqventium pœnæ ac præscripta maleficiorum supplicia exacerbentur in terrorem aliorum, qvando nimirum multis grassantibus exemplo opus sit. Et revera, hoc non juris, sed ipsorum hominum vitio fieri, omnimodò dicendum, neq; ut iniqva talia proclamitanda sunt, cum & justitiæ, & humanæ societatis conservandæ gratia, sint introducta. Licet enim qvædam statuta ac permissa primâ fronte iniqva & â naturali æqvitate longê remota videantur, re ipsâ tamen exactiùs ponderata, cum homines aut supinâ qvadam negligentiâ aliarum necessitatibus inservire cessant, aut vi vel fraude aliorum jus intervertere conantur, nemo sanæ mentis non affirmabit, ipsis jure talibus acerbatis in subsidium ac patrocinium justitiæ introductis occurrendum, cum duro nodo, durus qvoq; sit qværendus cuneus. Exemplum nobis haud postremum offert sese jus Repressalium, qvod, qvia ulcerosissimis hisce temporibus, in qvibus qvisq; suo lubito summum illud, justitiæ tribunal scilicet supprimere,

primere conatur, non tantum freqvens & utile, ſed & maximè neceſſarium, ideò ejus materiam pro viribus ingenioli tractandam & publicæ disqviſitioni ſubjiciendam in me ſuſcepi: Ne igitur illotis manibus, qvod dicitur, rem aggrediar, Deum ter Opt. Max. ſupplex peroro, ut Spiritus ſui ſancti gratia mihi adeſſe, conatumq; meùm benignè juvare non dedignetur. Sit itaq;

THESIS I.

Repreſſalia *(a)* ſunt oppignorationes *(b)* Rerum vel Perſonarum extranei territorij, ob protractam vel denegatam juſtitiam pro debito vel delicto *(c)* conceſſæ â Magiſtratu læſi ſeu actoris.

a) Qui materiæ cuidam operam daturus, ante omnia exemplo JCti *l. 1. ff. de juſt. & jur.* ejusdem denominationem undè deſcendat, ſibi arripiat. Repreſſalium autem derivatio â varijs varia profertur, qvidam enim deducunt illa â repræſentando, qvod nempe dedenti repræſentent perſonas eorum qvi juſtitiam actori denegarunt. *Coler. proceſ. exerc. p. 1. c. 2. n. 305.* alij â reprædando, *Dambaud. prax. crim. c. 98. n. 1.* alij aliter, qvos brevitatis ſtudio præterimus. Nos verò alijs & præcipuè illis, qvi hoc vocabulum adeò barbarum, latinitatiq; prorſus inconveniens proclamitant, rejectis, magis huic & qvidem veriori opinioni aſſentientes, qvia alias nomina ſuis convenire ſolent rebus, dicimus Repreſſalia â ſupino repreſſum deduci, qvemadmodum ſponſalia á ſupino ſponſum: ut enim â rei productione ſponſalia dicta ſunt, moris namq; erat veteribus ſtipularî, ſibiq; futuras uxores ſpondere *l. 2. ff. de ſponſal.* undè deinceps ſponſi ac ſponſæ appellatio profecta *l. 3. ff. d. t.* Ita qvoq; Repreſſalia, qvia eorum ſubſidio exterorum contumacia & temeraria audacia, nec non judicis juſtitiæ ſacra violantis violantia reprimitur res ſcilicet eorum, ubi judicij adminiſtratio nobis occluſa fuit, oppignorando, vel ipſos exteros detinendo, ab ipſorum

psorum proprietate non immeritò appellantur. *Johann. Möllerus inclutæ Hieranæ Prof. publ. Præceptor ac Promotor meus summâ animi observantia perpetim suspiciendus in Dissertat. suâ de Jure Repress. th. 1.*

Aliàs, sed magis impropriè, vocantur Clarigatio, cujus usum *Liv. lib. 8.* describit, qvod Viliterni trans Tiberim habitare jussi sint, ut ejus, qvi cis Tiberim deprehensus esset, usq; ad mille pondo Clarigatio esset: Alij referunt, clarigationem fuisse, cum feciales res raptas clarâ voce repeterent. *Plin. l. 22. c. 2.* Item Diffidatio, Græcè ἀνδροληψία qvæ potissimùm cum Repressalibus convenit, qvod æqvè in illis, qvàm in his personarum innocentium prehensio fiebat, & in casu reqvisitæ justitiæ pro delicto tantùm (& in hoc differunt, Repressalia enim simul pro rebus competunt) aliorum concedebantur. Item Marcha seu jus Marcæ vel Marqvæ, *Arum. de jur. publ. disc. 8. th. 1. vol. 2.* qvia plerumq; in limitibus auff den Märcken exercentur *Bod. de Repub. lib. 1. c. 10.* unde Gallis le Droict de Marqve appellantur. Anglis, Saxonibus Withernamium à Germanico Weiternehmen oder Wiedernehmen / in qva denominatione ijs haud sunt absimiles, qvi à Gallico Reprendre vel repriri, qvod aliud pro alio accipere denotat deducunt, *Joh. Gregor. 38. syntag. 8. n. 4.* Vernacula autem lingva Vehde / Rechtliche Hemmung / Auffhaltung / Kummer außländischer Güter und Persohnen / alß da einer für den andern / und eines Gut für deß andern Gut gefangen und verhafftet wird. *Besold. in th. pract. lit. R. n. 33.* qvæ variæ jamjam enumeratæ denominationes, qvia variè etiam inter se differunt, earumq; differentiæ passim apud Autores inveniri possunt, præcipuè *ap. Pet. Frid. Mindan. lib. 1. de process. c. 46. n. 2. & 3. Arum. d. l. th. 7.* brevitatis ergò eas omittimus.

A qvibus populis autem Repressalia sint introducta, cum interpretes non consentiant, laterem lavare arbitror, de his, qvæ adhuc in qvæstione sunt & rem minimè promovent, am-

 plum

plum constituere campum, sufficit ergò, qvod sciamus, eorum usum non tantum antiqvissimum secund. *D. Martin. Digest. noviss. t. Repress. tom. 2. c. 1. Bart. in pr. tr. de Repress.* sed & omni jure licitum ac permissum. Qvemadmodum enim Jure Divino propter injustitiam Domini, Deus aufert regnum, & dat Genti justitiam administrandi *Esa. 30. Matth. 21. v. 43.* ita in casu Repressalium potestas judicandi Magistratui, justitiam recusanti, aufertur, & ipsi Actoris Magistratui conceditur *Arum. d. l th. 1. Coler. process. exec. part. 1. c. 2. n. 272. Magnificus Richterus Com. Pal. Cæsar. JCtus famigeratissimus P.P. ac Facultatis Jurid. in almâ Salanâ Senior eminentissimus, Dn. Patronus ac Promotor meus summâ animi observantiâ ætatèm colendus, in expositione Auth. C. ne filius pro patre. Dissert. 4. pag. 3.* Deinde Jure Canonico *c. 23. q. 2.* qvoq; permittitur, qvod propter delictum administratorum & gubernatorum puniatur tota provincia, ut in *C. non est X. de spons. C. in summa 1. q. 4. & c. 24. q. 3.* & ideò ex culpa Regentium poterit capi & detineri homo liber invitus pro debito pecuniario *c. ex rescript. de jur. jur. Col d. l. n. 274.* Naturalis ratio hoc qvoq; svadet; sicuti enim bella jure naturæ, ut pax retineatur, sunt introducta *c. 2. Inst. de J. N. G. & C.* ita etiam Repressalia justam habent belli speciem *Heig. p. 1. q. 12. n. 1.* & adversus eos cum qvibus bellum gerere possumus, institui qveunt *c. 23. q. 25.* Neq; jus Civ. in his absonum reperitur, ubi enim copia judicis haberi neqvit, licet nobismet ipsis jus dicere *l. 54. C. de Decur. l. 10. §. si qvis debitorem. ff. de his qvi in fraud. cred. l. 14. de Judæis & Cælic. l. 7. ff. de incend. ruin. naufr. l. 7. §. ff. qvod vi aut dam.* Si igitur in defectum judicis aliqvis sibi ipsi jus dicere potest, multò magis actor cui justitia à Magistratu Rei iniq; denegata fuit, cum consensu sui Magistratus Repressalibus uti potest. Ex jam dictis optimè eliciendum, Repressalia nullo modo repudianda, sed ut summè necessaria toleranda ac defendenda. Verum nos non absolutè sed certis conditionibus hoc defendere conamur, si scilicet justa eorum reqvisita observentur de qvibus *in seqq. th.* dicemus.

b) Rectè

b) Rectè pignorationes dicuntur, latè autem, strictè enim sumpta differunt à pignoribus, qvia Repressalia ob denegatam justitiam publica authoritate & Principis superioris consensu conceduntur. Pignorationes vero ob turbatam jurisdictionem vel possessionem fiunt privatorum arbitrio. *Gail. 1. de pignor. n. 1. & 5. Coler. d. l. c. 2.*

c) Qvia notissimum est non minus ex delictis qvam contractibus obligationem nasci §. *1. inst, de Oblig. ex delict. l. 4. ff. de O. & A.* ideò Repressalia non tantum ob debita sed & delicta concedi solent. *Mynsing. obs. cent. 6. obs. 1.*

THESIS. II.

Causa efficiens impulsiva Repressalium est notabilis læsio *(a)* alicui ab extraneo facta; ejusq; judicis justitiæ denegatio. *(b)*

a) Qvæ in publicum redundare possit detrimentum: sicuti enim temerè in acie versari, & manum cum hoste conferre, in manunm qviddam & beluarum simile est *Cic. lib. 1. Offic.* ita qvoq; ob exiguum qvid, Reipub. tranqvillitas turbari non debet, nec statim ad qverelas ejus, qvi se alicubi per injustitiam & injuriam læsum prætendit, hoc contentionis genus permitti. *Col. d. l. n. 316.* Hâc qvidem ratione, qvia Repressalia maximè extraordinarium remedium, qvod jura in modicis non curant *arg. l. scio. ff. de restit. in integr. l. 9. §. fin. ff. de dol.* imò magis convenit aliqvando subditum læsum communi ære sublevare, qvam Repressalibus uti. *Heig. p. 1. q. 12.* cum enim concessio Repressalium sit res magni momenti & magni præjudicij; propterea etiam in causa parvi judicij locum non obtinet: Sed hoc verum de jure, de moribus verò hodiernis fallit, ita ut non solum de re magnâ sed etiam modicâ pro ratione & qvalitate personarum (pauperi enim maximum erit, qvod diviti & assiduo modicum *l. legitimos ff. de legit. tut. Bart. in l. sui & suscepit §. 1. ff. de judic.*) Repressalia institui possint. *Arum. d. l. th. 4. Cubach.*

bach. cent. 3. dec. 2. q. 4. qvod tamen ratione circumſtantiarum, diſcretioni judicis relinqvendum.

b) Et hæc potiſſima eſt cauſa, qvoties enim Actoris petitio injuſtis & varijs dilationibus procraſtinatur (ſcil. per reum & judicem,) nec res moram patitur; aut prorſus juſtitia denegatur, æqviſſimè conceduntur, qvia verò non ſufficit juſtitiam denegatam vel protractam esſe, ſed plura reqviruntur, ideò in ſeqq. theſibus de illis erit exponendum. Hic ſaltem breviter differentia inter juſtitiam protractam & denegatam eſt notanda: qvamvis enim hæ duæ ſpecies ſummam inter ſe habeant cognationem, maximè tamen differunt *Ord. Cam. p. 2. n. 16. §. ult. Mynſ. 2. obſ. 24. Gail. 1. obſ. 28.* Qvippe in protelata juſtitia decernuntur promotoriales pro juſtitiâ adminiſtranda, idq; interdum abſolutè vel cum pœnâ ut intra certum tempus juſtitia adminiſtretur. *Mynſ. d. l. & 3. obſ. 82. n. 7.* In denegatâ juſtitiâ verò Citationes & proceſſus decernuntur. *Gail. obſ. n. 6.* Eſt autem protracta juſtitia hæc, qvando dolosè differt adminiſtrare juſtitiam, ita ut eo moram faciente bona debitoris deperdita fuerint, aut in Reipubl. aliorumve utilitatem converſa. *Mind. lib. 1. de proc. c. 49. n. 7.* Denegata verò juſtitia eſt qvando expreſsè ſuum officium impartiri recuſat & actori juſtitiam denegat; varios modos protractæ vel denegatæ juſtitiæ *vid. ap. Mynſing. cent. 6. obſ. 28. n. 5.*

THESIS III.

Materia ſunt externi principis ſeu Magiſtratus juſtitiæ adminiſtrationem denegantis ſubditi *(a)* eorumq; res *(b)* in ditione actoris ſeu ſpoliati exiſtentes.

a) Ante omnia reqviritur ut is, contra qvem repreſſalia conceduntur, ſit extraneus, hinc concludendum contra proprios ſubditos & concives non dari, qvia alijs modis & remedijs eis ſatis conſultum eſt, qvilibet enim ſubditos ſuos compeſcere poteſt, & cum ordinaria non deſint, adverſus ſubditum extra-

ordinarijs

ordinarijs procedere non licet. *l. 13. §. 3. ff. de Usufr. l. in causa 13. ff. de min. Bart. in l. in provinc. §. si v. ff. de oper. nov. nunciat. Cubach. d. l. fol. 62. Nov. 52. c. 1. l. un. C. ut nullus ex vican.* Soli igitur extranei extraordinario hoc remedio constringuntur, & regulariter omnes, qvi non singulari qvodam privilegio vel jure Gentium sunt muniti. Qvales 1. sunt Studiosi *Auth. C. ne filius pro p. 11.* qvibus Imperator speciali sua constitutione consulere voluit, ita ut non tantum illi soli, sed & eorum nuncij & generaliter omnes, qvibus sine dispendio suorum studiorum carere neqveunt, sint exempti. *Arum. d. l. th. 3. Magnif. Richterus d. l. Dissert. 4.* ab initio; etiam ij qvi Studiosos visitant. *Rebuff. tr. priv. 150. Cubach. d. l. q. 4. in fin.* Qvod tum demum verum est si summæ necessitatis causâ id faciant, aliàs enim vix contra jus Repressalium se tuerentur. Item ad Nundinas (majores scilicet seu solemniores, qvæ ex concessione Principis certis temporibus celebrari solent, non verò minores qvas qvisq; Magistratus instituere potest, (qvæ gewöhnliche Wochen-Märckt vocantur) proficiscentes *l. un. C. de Nund.* illius loci Nundinarum respectu, & si Princeps salvum promisit conductum *Arum. d. l.* sic muniti reperiuntur hoc jure Ecclesiasticæ personæ *c. unic. de injur. in sexto.* Jure Gentium sunt Legati & Ambasciatores qvi sancti & inviolabiles dicuntur *l. 8. ff. de Rerum Divis. l. fin. ff. de legat.* imò etiam in Civitatibus per qvas iter faciunt pro rigore Repressalium tuti sunt *d. l. fin. l. 2. §. 3. ff. de jud.* qvibus annumerantur Citati seu in jus vocati per *d. l. 2.* undè enatum proverbium: Eine jede Citation bringet das Geleit mit sich. Deniq; omnis turba imbellis fœminarum, infantium, eorumq; omnium qvi in jus vocari neqveant *l. 2. l. 22. in pr. de in jus voc. de qvib. in Reform. Francof. Anno 1342. art. 4.* Wer in offenen Sachen *&c. reform. Aug. Anno 1548. art. 7. Arum. d. l. th. 3.*

b) Hic notandum, licet non tantùm res & bona exterorum sed etiam ipsæ personæ capi possint, & jure Repressalium coërceri, tamen Repressalibus simpliciter concessis, ad bona

& res comprehendendas potius concessa intelligantur, qvam ut potestas personarum detinendarum facta credatur *Heig. 2. p. 1. q. 12.* Qvemadmodum autem supra diximus, qvasdam personas immunes esse à Repressalibus, nunc qvoq; dicimus, qvod & res earum propter favorem prædictarum personarum tutæ sint, nec jure Repressalium detineri possint. Nam licet à personis res sint separabiles, ipsum tamen privilegium conjunctim aliqvando personis & rebus conceditur *Bart. q. 8. n. 1. & 2. Jacob. à Canib. suo tr. de repress. n. 15.*

THESIS IV.

Materiam subseqvitur forma, qvæ qvasi rerum gestarum facies & fax est, qvæ in his præcipuè consistit, ut Læsus sive actor *(a)* tempore licito *(b)* judicem Rei adeat, ejusq; opem imploret *(c)* & si judex Rei justitiam expressè denegaverit *(d)* proprium accedat Magistratum *(e)* & literas repressalias petat *(f)* qvæ anteqvam dãtur, actor denegatam justitiam probare tenetur. *(g)*

a) Qvoniam non omnibus jus Repressalium conceditur, idcircò qvalis actor esse debeat, breviter dispiciendum. Debet autem is esse subditus illius Magistratus à qvo Repressalia petiturus, non tantùm incolens Remp. sed & onera sustinens, *Excellentiss. Möllerus d. Dissert. de jure Reptessalium th. 4.* incola enim qvi non subit onera Civitatis, si ex contumacia non subeat, jure Repressalium gaudere non potest, contumacia namq; punienda *l. 36. ff. de excus.* neminiq; dolus suus prodesse debet *l. 26. ff. de R. V. l. 1. §. 1. ff. de dol. mal.* Secus autem in illis qvi privilegio qvodam sunt muniti qvo minus subeant, seu qvi actu illud non faciant modo sint parati, cum per ipsos non stet qvo minus subeant *l. jur. Civ. ff. de condit. & demon. Arum. d. l. th. 3.* Hinc colligitur Bannitos, qvia sub nullius protectione sunt, hujus remedij participes non esse cum etiam injustitia ipsis facta dici

non

non possit *l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* imò ut hostes imperij denunciati odio extremo sint proseqvendi. *Gail. obs. 2. de Pign. c. 1. n. 23. c. 12. n. 14. c. 15. n. 8.*

b) Non enim qvovis admittuntur tempore. 1. Nundinarum *l. un. C. de Nundin. & ibi Br. Bl. & Salicet. Const. Saxon. p. 1. qvæst. 30. in fin.* propter utilitatem publicam ex Nundinis profluentem. Nundinæ enim terram impingvunt *gl. in d. l. un.* & ideò qvod in publicam vergit utilitatem, illud privatorum pacta infringere non debent *l. 27. l. 45. §. 1. ff. de R. J.* 2. Diebus feriatis ob honorem Dei institutis *l. 6. C. de ferijs.* inde etiam citatus die feriato comparere non debet *per gl. fin. in verb. nec prædicta in c. bona. & 2. de elect.* nisi consvetudine & statuto aliud observetur: qvod autem alijs ferijs, ut sunt Repentinæ & Rusticæ, Repressalia locum habeant, testatur *Tusch. concl. 200. n. 6.* 3. Tempore qvo debitor solvendo non est, cessante enim causa detentionis vel prehensionis, cessabit etiam ipsa prehensio, frustraneaq; esset juxta vulgare: Wo nichts ist/ da hat der Käyser sein Recht verlohren. nisi bona debitoris fraudulenter subtracta fuerint. *Magnif. Richter. Exposit. dict. Auth. diss. 4.*

c) Semper actor forum rei seqvi debet *l. 2. C. de jurisdict. omnium jud. & de for. comp.* neq; judex officium suum impartiri debet si non fuerit petitum *l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* Hinc judex nondum reqvisitus negligens dici non potest. *Gail. lib. 1. obs. 28. n. 4.* non entis enim nullæ sunt qvalitates, & ubi deficit subjectum non potest dari qvalitas vel accidens *l. 23. ib. Bal. C. de prob.* nemini etiam ignorum illud: Wo kein Kläger ist da ist auch kein Richter. Non autem nuda ac sola judicis reqvisitio sufficit, sed ultrà reqviritur ut debitum sit liqvidum, qvamdiu enim de debito litigatur, illudq; nondum factum est liqvidum, tamdiu etiam repressalibus, aliàs jure concessis, uti non licet *Wesenb. vol. 1 consil. 46. n. 21. Dambaud. in prax. crim. c. 98. n. 11.* qvia judex cui non liqvet, nihil mandare *c. solet. in fin. de sentent. excom.* neqve exinde negligentiæ argui potest.

d) Expresſè judex ſe declarare debet, ſe actori officium adhibere nolle, ita ut nulla ſpes juſtitiæ conſeqvendæ reſidua ſit.

Q. An autem ſufficiat juſtitiam à judice denegatam fuiſſe, non inconcinnè hic qværitur? R. Diſtingvendo; aut judex ſuperiorem recognoſcit, aut non; priori caſu affirmativam tueri conamur, qvia ubi ſuperior præſtò eſt, ad qvem haberi poteſt recurſus, qviq; debitorem, vel etiam judicem ad officium cogere poſſit, repreſſalibus uti non eſt licitum. *Col. proc. exec. p. 1. c. 2. n. 316.* via enim juſtitiæ adhuc patet, & ab inferiori ad ſuperiorem recurſus ſumi poteſt. *argt. l. ſi alius §. belliſſimè. ff. qvod vi aut clam.* Qvando autem ipſe ſuperior juſtitiam qvoq; denegat, tunc extra dubitationis aleam poſitum eſt, qvin Repreſſalia inſtitui poſſint. *Còl. d. l.* Poſteriori itaq; caſu id affirmare non veremur, cum in ſubſidium ultimum juſtitiæ denegatæ ſint introducta repreſſalia. Verùm hodiè de conſvetudine jam relata diſtinctio non obſervatur ut tradit *Mindan. lib. 1. proceſſ. c. 49. memb. fin.* Sed ſi judex inferior juſtitiam adminiſtrare recuſat, ſtatim jus Repreſſaliam aggreditur, qvod autem tutius & rectius agant Magiſtratus ſi illos pignorationes cum authoritate ſuperiorum faciant, approbat ipſe *Mindan. d. l.* cum abundans cautela non noceat.

e) Qvoniam nemo ſe propria authoritate vindicare, nec ſibi jus dicere debet, judiciorum vigor, jurisq; publici tutela in medio ſunt conſtituta, ne qvisqvam ſibi ipſi ultionem permittere valeat *l. 14. C. de judic.* nec minoris improbitatis referre injuriam qvam inferre, imò deteſtabilius, idcircò læſus ſeu actor qvoq; propriâ ſuâ authoritate ubi repreſſalibus uti non poteſt, niſi hoc jus ipſi à ſuo Magiſtratu ſit conceſſum. Si igitur judex Rei, Actori juſtitiam reqvirenti denegat, aut æqvo diutius differt, aut diſſimulat, Actor proprium accedat Magiſtratum, ejusq; opem, juvamen ac patrocinium implorans petat, ut ſuâ & qvidem publicâ authoritate & gratia ipſi literas concedat, ad illum judicem, pro juſtitia adminiſtranda & facienda bono-

rum

rum restitutione: si nunc secundò differt, aut denegat justitiam, tunc literæ repressaliæ petuntur, qvibus actori datur potestas, à qvibusvis illius externi Magistratus subditis in sua ditione existentibus recuperationem bonorum facere, eosq; comprehendere & bona ipsorum arrestare, sistere & divendere, donec sibi ad summam debitorum sit satisfactum. Nunc haud parum controversa nec non varijs Dd. sententijs involuta ac sæpiùs agitata sese offert qvæstio: An nimirum jus Repressalium â solo superiorem non recognoscente peti ac concedi debeat? Et qvanqvam non desint, qvi id absolutè affirmare non verentur, cum Repressalia sint species belli *Heig. p. 1. q. 12. n. 2.* belli autem indicendi potestas supremæ sit Majestatis *l. 3. ff. ad L. Jul. Maj. Ord. Cam. p. 2. t.* daß wieder die *&c. Reinking. lib. 1. cl. 3, c. 1. n. 8.* Ita etiam Repressalia ad modum & æqvitatem bellicam â Superiore concedenda essent; qvod qvidem in totum negare nostri instituti non est. Veruntamen hæc qvoniam hodiè non absolutè sed cum temperamento intelligenda. Nos (tn. ferè perversam) consvetudinem, qvæ optima legum interpres & rerum magistra ac Domina *Gellius. noct. Att. 13.* seqvi cogimur, dicentes: Electores, Principes & alios Magistratus liberam Reip. administrationem habentes Repressalia permittere posse, *Magnif. Richterus in exposit. Auth. C. ne filius pro patre Differt. 4. p. 70. in med. Emmeric. â Rosbach prax. civ. tit. 3. de for. comp. n. 70. p. 47.* modo illorum circumstantiæ ac reqvisita diligenter observentur *Arum. de jur. pub. disc. 8. th. 2. vol. 2. Cubach. cent. 3. dec. 2. q. 2.* Qvemadmodum enim bellum ab inferiore susceptum, si periculum in mora & superioris copia haberi neqvit, non improbatur, cum melius sit in tempore occurrere, qvam post exitum vindicare *l. 1. C. qvando lic. unicuiq;. l. ult. C. in qvib. caus. in integ.* ne contingat id qvod olim Romanis exprobratum: Dum Romæ consultatur, Saguntum expugnatur, vel injuriam passus moratoria & delusoria comperendinatione

 circum-

circumducatur ac lactetur, nam & tunc non expectato Principis jussu arma sumenda esse tradit *Frideric.* Schenck à Tautenberg *in c. un. in pr. 2. Feud. 28.* Eâdem ratione Repressalia, qvæ justam belli speciem habent, ut supra dictum, permitti possunt *arg. l. 21. ff. de R. J.* Deinde consvetudine id satis approbatur, cum enim consvetudo, qvæ cum æqvitate summa conjuncta, qvæ freqventer in eodem controversiarum genere *l. 1. C. de Leg.* usu longævo *l. 2. C. d. t.* & diuturno *l. 33. ff. de Legib.* observata non immeritò sit probanda, sed & pro lege custodienda *l. 32. ff. d. t.* ita & hæc Repressalium consvetudo, qvæ non saltem plurimum in se continet æqvitatis, (dum ipsum ad justitiam præbet aditum & judices fideliter admonet, ne subditis magis in causa malâ qvam exteris in bona faveant, & ad distribuenda omnibus jura excitat) sed & omnibus bonæ ac justæ consvetudinis reqvisitis munita, qvin sit probabilis, nemo sanæ mentis negabit, cum etiam consvetudo fori derogare soleat juri scripto. *l. 3. §. fin. & ibi Br. ff. de Testib.*

f) Duplices actori â suo Magistratu ad Magistratum Rei dantur literæ, qvarum priores Promotoriales appellantur, qvibus tantùm externus judex ad promovendam & administrandam justitiam ac actionem finiendam â Magistratu Actoris rogatur, qvibus si jus impetrari neqvit, posteriores qvæ Repressaliæ, item oppignorationum codicilli. *Limn. de jur. pub. l. 4. c. 8. n. 323.* item subsidiariæ literæ vocantur. *Tusch. lit. R. Pract. concl. 198. n. 21.* conceduntur, qvibus jus exercendi Repressalia ipsi actori permittitur, qvarum formam vid. ap. *Pet. Wesenb. in cons. 17. n. 33.*

g) Sicuti autem qvilibet bonus ac diligens in officio præsumitur: ita contra negligentia in judice regulariter non præsumitur, nisi legitima reqvisitio sit probata *Gail. lib. 1. obs. 28. n. 4.* Reqviritur igitur vigore *Ord. Cam.* Denegatæ justitiæ documentum, qvale autem illud esse debeat, variant inter se Dd. Qvidam dicunt, qvod creditor hoc probare tenea-

tur

tur per publicum instrumentum *Gail. & Gilhauſ. in arbore judiciariaria c. 10. de proc. exec. §. 3. n. 47.* Alij per juramentum partis nempe actoris probari posse volunt, si persona alicujus autoritatis esset, & de cujus vitæ actionibus probè constaret. *Mynſ. 3. obſ. 58.* Qvidam per testes fide dignissimos *Bart. q. 4. n. 14.* & qvidem in causa Civ. per tres, in Criminali verò per septem: *in ſpec. juris Saxon. lib. 2. art. 22.* Sed hoc uniuscujusq; loci consvetudini nec non discretioni judicis relinqvendum.

THESIS V.

Finis Repressalium est ut justitia constanter observatâ, Actori suum tribuatur.

Justitia enim sancta, qvæ ad divinitatem ducit, qvæ ubiq; regnare debet, ne violetur, & illud, ipsa jubente, suum cuiq; tribuendum, intervertatur ac denegetur, medium hoc valdè necessarium introduxit, qvo conniventia Magistratuum ad scelera & fraudes suorum malevolorum subditorum tollatur *Mind. d. l. c. 48. n. 4. c. 49. n. 21.* & ejus edictum, suum cuiq; tribuendum, jure verum ac firmum permaneat. *Gail. obſ. 2. n. 2. ibi ne pereat justitia. & lib. 1. obſ. 28. in fin.*

THESIS VI. & ultima.

Effectus Repressalium est ipsa detensio personarum seu rerum exterarum & per eam debiti vel injustè deprædati recuperatio.


Impetratis literis repressalijs actor statim jus Repressalium exercere potest, modo captans personas, ne in pœnam incurrat privati carceris, judici eas præsentet *Tuſch. concl. 200. n. 4.* Res qvoq; judici tradat *Br. q. 9. n. 2. & 3.* qvi per aliqvod temporis spacium (qvod, qvoniam non determinatum, ideoq; moribus & singulorum locorum constitutionibus relinqvimus) eas detinet, in qvo si satis fit Actori, res restituuntur ac personæ dimittuntur; qvantum autem ad res attinet, si elapso posito temporis spacio, debitor non comparet, tunc res seu bona ca-

pta

pta æstimata pro eorum qvalitate venduntur, de qvorum precio creditori satisfieri debet, deducto simul omni interesse & impensis judicialibus. *Bart. d. l. n. 4.* qvod autem superest, ipsi repressaliato reddi debet. *Mind. c. fin. in fin. Heig. d. l. n. 26.* Personæ autem tamdiu detineri possunt, donec actori satisfiat, ubi autem personæ detineantur, in arbitrio judicis positum erit l. generali *C. de Decur. lib. 10. Mind. d. l. c. 49. n. 20.* Coronidis Q. loco qværitur, qva actione detentus contra principalem debitorem agere possit? R. Dd., qvod si principalis debitor existat solvendo, actione negotiorum gestorum, utili per *l. qvæ util. ff. de Neg. gest. Oldendor. in clas. act. par. de Neg. gest. fol. 719.* adversus ipsum detentus poterit experiri, vel si statutis qvid cautum, actione ex statuto *arg. l. 1. ff. de cond. ex leg.* Si verò debitor principalis non sit solvendo, Magistratum sibi detentus obligatum habebit, qvi ipsi omne damnum cum capitali restituere tenetur *Arum. de jur. publ disc. 8. th. 6.* & Hæc pro tempore sufficiant. D.L.H.E.G.

Arrestum qvid sit, qvid Repressalia Jura
Ex cathedrâ pridem hic omnibus arte refert
Ordine concinno scripti Cellarius Autor,
Ut promus condus de locuplete penu.
Celleri *gratum Tibi dat tua* Cella *liqvorem,*
Qvem bibere exoptat nostra Camœna qvod.
Perge penu locuples struere & conqvirere Legum,
Hinc promicondi *nomen honore geres.*
Magnus eris, nomenq; tuum super astra vehetur;
Auguror, augurium ne sit inane precor.

In honorem perex imij Dn. Respondentis
Amici sui verè dilecti Fac.
Frases.



DIc mihi, qvid potius, qvam diva scientia Juris,
Eripiat tristi nomina nostra rogo?
Ambiguum vulgus! certè res est operosa,
Orbis nil melius, post sacra scripta, tenet.
Hoc KELNERE probas, primùm dum pulpita scandis,
Astrææ lustras castra opulenta Deæ.
Auspice BERGMANNO facies cum fænore fructus,
Et nodos solves, præmia multa ferens.
Macte animo! & blandas Sirenum sperni to voces;
Mox tribuet palmam virgo Minerva Tibi.

Amico suo candidissimo gratulabundus apposuit
Georg. Lauterbrunn, LL. Stud.